



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

3. Quænam conditiones requirantur vt aliqua ponentur in prædicamentis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

realiter ab omnibus contentis in prædicamento, seu classe substantiæ, neque ab omnibus, quæ continentur in prædicamento, seu classe accidentis absoluti, quia relationes aptitudinales substantiæ, & relationes aptitudinales accidentium identificantur realiter ipsis, & tamen ponentur in prædicamento illo seu classe relationum; neque credo hoc posse verti in controuersiam.

Quod ergo *queritur hic* est, an illa decem prædicamenta, quæ de facto sunt assignata à Philosopho, & admissa à Doctoribus communiter, sint distincta realiter inter se, ita ut nihil positum in vno prædicamento identificetur realiter vlli, quod ponitur in vlllo alio prædicamento; an verò aliqua, quæ ponuntur in vno prædicamento ex illis, identificentur realiter alicui posito in aliis prædicamentis. Si primum dicatur, diuisio entis in decem prædicamenta erit diuisio realis, striete loquendo, tanquam in membra realiter distincta: Si secundum, non erit diuisio realis, striete loquendo, sed largiori modo, prout scilicet talis dicitur diuisio alicuius in aliqua, quæ distinguuntur aliquo modo à parte rei, abstrahendo à modo distinctionis, an scilicet sit realis, an formalis.

17. *Prima sententia* valde communis est, quod non diuidatur ens in prædicamenta decem, tanquam in membra realiter distincta, sed tanquam in membra distincta ex natura rei aliquo modo, vel formaliter, vel realiter. Hæc debent tenere *Nominales*, qui putant quantitatem non distingui realiter à substantiâ, & relationes non esse modos realiter distinctos ab extremis; & *Thomistæ* qui existimant actionem & passionem non distingui realiter inter se: nominatim autem eam tenent *Arauxo* 5. *Metaph. quæst.* 1. art. 3. *Fonseca* ibid. *Suar.* disp. 30. *Vasq.* 1. par. disp. 32. & 138. *Iuannes à sancto Thoma* hic qu. 14. art. 5. quos ex Scotistis sequitur *Merinus* hic, qui dicit eam esse expresse sententiam *Scoti* q. 10. *prædicamentalis*, & in 2. distinct. 1. quæst. 5.

Secunda sententia est diuisionem entis in decem hæc prædicamenta esse diuisionem realem strictam, in membra scilicet realiter distincta ita, ut quidquid spectat ad vnum prædicamentum, necessariò distinguatur realiter ab omni, quod spectat ad quodcumque aliud prædicamentum ex his. Hanc tenent *Scotistæ* communiter, quos sequuntur *Niphus* 4. *Metaph. quæst.* 4. & ex *Thomistis* *Casertanus* 1. par. qu. 28.

CONCLUSIO.

18. *Decem prædicamenta sunt distincta realiter.* Hæc est iuxta secundam sententiam, & *Scotum* 7. *Met. qu. 7.* *Probatum* tum, quia potius facienda erat diuisio entis in classes diuersas entium realiter distinctorum, quam formaliter distinctorum; tum & potissimum, quia si quæ ex prædicamentis essent realiter identificata & indistincta, maxime quantitas & substantia, relatio & sua extrema, actio & passio, vbi & situs: sed hæc inter se distinguuntur realiter, ut postea ostendemus; ergo prædicamenta omnia distinguuntur realiter. Maiorem admittunt communiter aduersarij, qui propterea dicunt prædicamenta non distingui realiter propter illa exempla. *Merinus* tamen negat maiorem, & assignat aliud exemplum alicuius vnus realis entitatis spectantis ad diuersa prædicamenta; dicit enim figuram spectare ad quantitatem, quatenus est superficies terminata lineis; quatenus vero dicit ipsam terminationem linearum, spectat secundum ipsum ad prædicamentum qualitatibus: quam doctrinam delumpfit ex *Scoto* qu. 10. *prædicament.*

Decem prædicamenta sunt distincta realiter striete.

19. *Sed contra*, quia, ut inferius dicemus, falsum est quod figura sit vera species qualitatibus, aut vere ad illud prædicamentum spectans. Dicitur autem à *Scoto* spectare ad qualitatem, quia enumeratur à Philosopho inter species qualitatibus, non quod vere sit species eius, sed quod ita censetur ab aliquibus. *Deinde* nō dicit *Scotus*, quod eadem figura realis spectat ad vtrumque illud prædicamentum, sed dicit figuram esse vocem æquivocam, & significare duo distinctæ rationis: primò enim significat superficiem terminatam lineis, & sic sumpta figura spectat ad quantitatem, non quod illud totum esset aliquid

per se directe spectans ad illud prædicamentum, quia illud totum est ens per accidens, sed quod qualibet pars ipsius, nimirum & superficies & linea, quæ terminant illam, sit spectans ad quantitatem. Secundo significat ipsam terminationem, quæ distinguitur realiter & à lineis terminantibus, & à superficie terminata; & figuram sic acceptam dicit spectare ad qualitatem: quod quamuis verum esset, adhuc non sequeretur quod idem ens spectaret ad diuersa prædicamenta.

20. *Probatum secundo conclusio*, quia quidquid realiter identificatur alicui, debet reduci ad prædicamentum istius rei cui identificatur, hac enim ratione reducitur & relationes aptitudinales substantiarum reducimus ad prædicamentum substantiæ de facto: ergo nihil realiter identificatum rei spectanti ad vnum prædicamentum debet spectare ad alterum prædicamentum, & consequenter res spectantes ad diuersa prædicamenta nequeunt realiter identificari.

Obiicies primò: relatio substantialis creaturæ ad Deum, ut ad creatorem, & relatio similitudinis imperfectæ, quam dicit ad ipsum, sunt realiter identificatæ illi creaturæ: sed illæ relationes spectant ad prædicamentum relationis: ergo non omnia, quæ ponuntur in diuersis prædicamentis, distinguuntur realiter.

Respondeo negando maiorem, quia omnes relationes realiter identificatæ substantiæ spectant ad prædicamentum substantiæ reductiue, nec possunt vlla ratione spectare ad prædicamentum vllum ex nouem prædicamentis, quia omnia illa, quæ spectant ad nouem prædicamenta, conueniunt in ratione accidentis ut sic, & consequenter debent habere aptitudinem ad inhaerendum; nihil autem identificatum substantiæ potest habere talem aptitudinem: ergo non potest aliquid tale spectare ad prædicamentum vllum ex nouem prædicamentis, nec participare vlllo modo rationem accidentis ut sic, oppositi substantiæ.

Dices: Omnes relationes intrinsecus aduenientes spectant ad prædicamentum *Ad aliquid*: sed relationes identificatæ substantiæ sunt intrinsecus aduenientes, ergo spectant ad prædicamentum *Ad aliquid*.

Respondeo distinguendo maiorem: quæ sunt accidentia respectu fundamenti ad quod sequuntur, concedo; quæ non sunt, nego maiorem; & distinguo etiam maiorem: sunt intrinsecus aduenientes, quatenus necessario sequuntur ad fundamentum ex natura fundamenti, concedo; ita ut sint relationes accidentales sequentes ex fundamento illo, & aptæ naturæ inhaerere ipsi, nego maiorem & consequentiam.

21. *Obiicies* pro *Merino* auctoritatem *Scoti* ab ipso citatam, *Respondeo* *Scotum* nunquam dixisse absolute quod eadem realis entitas secundum se spectet ad diuersa prædicamenta; & quamuis dicat in illo loco secudò, quod posset negari dari distinctionem realem inter omnia quæ ponuntur in diuersis prædicamentis, tamen cum non cōtutus sit illa responsione, sed recurrat ad aliam, & hoc iuxta alias dicta; in qua alia responsione tenetur non identificari realiter entia diuersorum prædicamentorum; signum est quod magis propendat in illam sententiam de distinctione reali prædicamentorum, aut saltem signum est quod eo loci non determinauerit se ad vllam partem.

QVÆSTIO III.

Quanam conditiones requiruntur ut aliqua ponantur in prædicamentis.

22. *S*uppono in quolibet prædicamento varia entia & formalitates poni, & ex his aliqua directe, aliqua indirecte. Directe in prædicamentis ponuntur ipsæ suprema genera, & omnia alia, de quibus suprema genera prædicamentorum prædicantur in quid. Illa vero indirecte collocantur in ipsis, quæ neque sunt suprema genera, nec talia de quibus prædicari possint suprema illa genera in quid; sed concurrunt tamen ad constitutionem primariam essentialem siue physicam siue metaphysicam rerum, quæ directe ponuntur in prædicamentis, vel identificantur realiter ipsis. Vnde patet hominem poni directe in prædi

Nulla relatio identificatæ substantiæ spectat ad aliud prædicamentum.

Figura non est species qualitatibus.

prædicamento substantiæ, quia substantia ut sic, quod est genus supremum istius prædicamenti, prædicatur de ipso; animam vero non poni directe in illo, quia non prædicatur de illa in quid substantia, quæ est supremum genus; poni vero indirecte, quia concurret ad constitutionem physicam essentialem hominis. Et similiter rationalitas non ponitur directe in illo, sed indirecte, quia non prædicatur de ipsa substantia ut sic prædicatione formali & directa, & quia concurret ad constitutionem metaphysicam hominis. Denique risibilitas non spectat directe ad idem prædicamentum propter eandem rationem, spectat vero indirecte, quia indentificatur realiter homini, & emanat ab essentialius.

Quæritur ergo hic de quibusdam conditionibus particularibus, quæ requiruntur ad hoc, ut aliquid ponatur in prædicamento vel directe, vel indirecte: de quo quia res est facilis, & sine alia fere controuersia quam de nomine, breuiter quid dicendum sit, proponemus sequentibus conclusionibus.

CONCLUSIO I.

23. Nihil ponitur directe vel indirecte in prædicamentis, quod non sit reale & positium, unde realitas & posituitas, ut ita dicam, est una ex conditionibus requisitis in quocumque collocabili in prædicamentis. Hæc resolutio est communis, & patet, quia licet posset statui vel vnum prædicamentum, vel plura, in quibus collocarentur negationes, priuationes, & entia rationis, tamen hæc decem prædicamenta Philosophi sunt prædicamenta entium realium positiuorum; nam ens, quod in illa diuidit Philosophus, est ens simpliciter, quod non intelligendum est de alio, quam de reali positio: nam ens rationis non vocatur ens simpliciter.

CONCLUSIO II.

24. Nihil ponitur in prædicamentis his directe aut indirecte, quod non sit finitum. Hæc etiam est communis, & probant aliqui, quia nihil ponitur in his prædicamentis nisi genera generalissima vel contenta sub illis: sed nihil nisi finitum potest esse genus generalissimum aut contentum sub ipso: ergo nihil ponitur in prædicamentis quod non sit finitum. Probatur minor, quia non datur aliquod ens positium, quod non sit finitum, nisi Deus, aut identificate Deo: sed Deus nequit esse genus generalissimum vllius ex his prædicamentis, ut patet, nec contentum sub genere generalissimo vllio alio, quia alias constaret genere generalissimo, quod argueret in ipso imperfectionem: quia omne genus dicit gradum perfectibilem & potentialem, omnis autem talis gradus est imperfectus, & consequenter non potest contineri in Deo absque imperfectione Dei.

Contra hanc rationem facit, quod valde difficile est assignare rationem cur substantia ut sic, non sit genus respectu Dei & aliarum substantiarum. Hoc autem supposito corrumpit prædicta ratio, ut patet, quia Deus constare posset genere.

Dices: ideo substantia ut sic non est genus, quia non est quid vniuocum Deo & aliis substantiis; aut quia non perfecte præscindit à Deo & aliis substantiis; aut quia includitur formaliter in differentiis contrahentibus ipsam.

Contra, quia sicut hoc dicitur de substantia, ut sic, communi Deo & substantiis creatis, posset dici de substantia, ut sic, communi substantiis omnibus creatis, videretur enim esse eadem ratio.

Dices cum Scotistis propterea substantiam, ut sic, non esse genus ad Deum & substantiam finitam, quia non contrahitur per differentias, sed per modos intrinsecos, quemadmodum ens ut sic contrahitur ad ens finitum & infinitum.

Fortassis doctrina huius responsionis est bona: sed quia est valde difficile assignare dicrimen inter modum intrinsecum contrahentem ens ad Deum, ac differentiam, & quia non minus difficile est ostendere quod clarior ut sic quæ est summum genus prædicamenti relationis, non contrahatur per modos ad sua inferiora, si substantia, ut sic

contrahatur per tales modos ad Deum & creaturam: ideo.

Probatur conclusio aliter, & multo facilius, quia reuera Philosophus non voluit diuidere in prædicamenta, nisi entia creata ac finita: unde certum debet esse quod in prædicamentis his decem assignatis à Philosopho non ponatur Deus, & quod consequenter vna ex conditionibus rerum in illis positurarum sit finitas.

Sed si per prædicamentum nihil aliud intelligeretur, quam classis aut series aliquarum rerum inter se subordinatarum & contentarum sub aliquo conceptu communi vniuoco competente illis, nihil prius obesset, quo minus Deus poneretur in aliquo prædicamento, nimirum serierum contentarum sub ente ut sic, aut rerum contentarum sub substantia ut sic: nec hoc argueret vllam in ipso imperfectionem, ut magis apparebit in Metaphysica, dum agemus de vniuocatione entis, nulla tamen ratione potest contineri in vlla ex his classibus decem, quia ut dixi, suprema genera ipsorum sunt entia finita, & argueret sine dubio imperfectionem in Deo esse sub tali genere contineri.

CONCLUSIO III.

26. Quidquid ponitur directe in prædicamentis, debet esse vnum per se. Hæc est communis, & patet, quia licet possint entia per accidens collocari in aliquo prædicamento sub aliquo conceptu communi entis per accidens, tamen Philosophus voluit entia per se in classes redigere, & redegit in has decem, à quibus propterea arcenda sunt omnia entia per accidens.

Confirmatur, quia expresse diuisit entia incomplexa in decem prædicamenta: sed omne ens per accidens est ens complexum: ergo non spectat ad vllum ex his prædicamentis.

Si autem quæras, quamnam entia censenda sunt vna per se, & non per accidens: Respondeo, omne illud ens vocari debere & esse vnum per se, quod non est compositum ex subiecto & accidente, nec ex partibus pluribus, quæ per se & essentialiter non subordinantur sibi inuicem per modum actus & potentie, seu perfectiui per se & perfectibilis per se: illud vero est ens per accidens, quod constituitur, seu componitur ex subiecto & accidente, seu ex partibus non essentialiter ordinatis per modum perfectibilis per se, & perfectiui per se. Hinc patet, album, prout dicitur quid constatum ex albedine & subiecto albedinis, non spectare ad vllum prædicamentum, quia componitur ex subiecto & accidente. Patet etiam, aggregatum ex pluribus lapidibus, aut hominibus non spectare directe aut indirecte etiam ad vllum prædicamentum, quia est quid compositum ex partibus non ordinatis essentialiter inter se per modum perfectibilis per se, & perfectiui per se; neque enim vnus lapis est per se perfectibilis ab alio lapide, aut per se perfectius ipsius.

27. Signum autem optimum ad colligendum aliquid constans ex partibus aliquibus esse per se vnum, vel per accidens vnum, est primo, si constet ex partibus realiter distinctis, & illæ partes spectent ad diuersa prædicamenta; nam res diuersorum prædicamentorum ex his decem prædicamentis, quæ de facto examinamus, non sunt per se ordinate ad inuicem per modum perfectibilis & perfectiui, unde tale compositum sine dubio erit vnum tantum per accidens, & non per se. Secundò, si illæ partes sint eiusdem prædicamenti, videndum est an quælibet ex illis ponatur directe in prædicamento, & tum dicendum est quod illud totum sit vnum per accidens, quia quidquid ponitur directe in prædicamento est quid completum, & consequenter nequit habere rationem perfectibilis per se per aliquid aliud realiter distinctum, quod etiam sit completum, eo enim ipso quo haberent aliqua realiter distincta; se per modum perfectibilis per se, & perfectiui per se, non essent còpleta, hæc enim ratione materia prima & inter forma substantialis non dicuntur, nec sunt completa. Quod si ex illis partibus vna sit quid completum, & altera pars sit quid incompletum, adhuc totum compositum ex illis erit ens vnum per accidens tantum, quia illa pars, quæ est quid

Quomodo
Deus pos-
set poni in
prædica-
mento.

Quod ponitur
directe in
prædicamento
debet esse
vnum per
se.

Quamnam
entia sunt
censenda
per se vna.

Signa ex
quibus
colligi
possit ali-
quod con-
positum
esse vnum
per se, aut
per acci-
dens.

Nihil po-
nitur in
prædica-
mentis,
quod non
sit reale &
positium.

Nec quod
non sit fi-
nitum.

178 LOGICA. De Prædicamentis in communi,

quid completum, nequit per se esse perfectibilis ab alia parte, quæ est quid incompletum, nec esse per se perfectiva ipsi, alias enim non esset quid completum. Hinc totum compositum ex homine, & pede leonis non est unum per se.

28. Dices: homo mancus, cui scilicet deessent manus, esset quid completum positum directe in prædicamento substantiæ, nam esset animal rationale non minus, quam quicumque alius homo, & tamen esset perfectibilis per manus, sine quibus est imperfectus: ergo falsum est quod quid completum non posset ulterius compleri & perfici per aliquod realiter distinctum.

Respondeo hominem talem esse completum physice, quia constat partibus physicis non complebilibus ulterius physice; sed non est tamen completus integraliter, unde iuxta hoc distinguo consequens: falsum est quod completum, quia ratione est completum, possit ulterius perfici, nego; secundum quod non est completum, concedo consequentiam.

Et si quæras, utrum homo quatenus constituitur ex partibus integralibus sit unum per se, Respondeo quod sit unum per se integrale, quia ut sic constituitur ex partibus eiusdem prædicamenti per se connaturaliter ordinatis ad hoc, ut uniantur inter se, & ex iis una non est subiectum alterius. Itaque compositum ex rebus realiter distinctis eiusdem prædicamenti est unum per se integrale, quando partes illæ natæ sunt connaturaliter continuari inter se; & est unum per se physicum, si partes illæ spectantes ad idem prædicamentum, ex quibus constituitur ita se habeant, ut neutra ponatur directe in prædicamento illo, & natæ sunt ulterius facere unum compositum, cui aliqua una peculiaris operatio, aut effectus competere possit ratione istarum partium.

29. Quod si partes illius compositi sint realiter identice, & solummodo formaliter, vel ratione distinctæ, videndum est an sint inter se sic subordinatæ, ut fundentur in aliqua entitate per se una physice; & præterea an vlla ex ipsis per se præsupponat alteram tanquam radicem, ex qua profluat: si fundentur in una tali entitate per se una physice ita, ut in alia nequeant reperiri, & neutra alteram præsupponat, tanquam radicem, ex qua pullulat, illud compositum debet dici per se unum metaphysice loquendo: si vero non fundentur sic in aliqua entitate per se una physice, aut si una ex illis præsupponat alteram, tanquam radicem, ex qua sequitur, seu pullulat illud compositum non erit unum per se metaphysicum, sed per accidens. Hinc patet, compositum ex animalitate & rationalitate esse unum per se metaphysicum, quia constat ex formalitatibus realiter identificatis, quæ non reperiuntur, nisi in entitate una per se physice, verbi gratia in entitate alicuius hominis; & quia nec rationalitas profluit ex animalitate, quandoquidem aliàs omne animal esset rationale, nec contra animalitas ex rationalitate, quandoquidem reperiatur secundum suum conceptum formalem sine rationalitate. Totum autem compositum ex humanitate, & risibilitate est unum per accidens, metaphysice loquendo, quia risibilitas præsupponit humanitatem tanquam radicem, ex qua profluit, & propterea dicitur competere homini per se, non in primo modo dicendi, sed in secundo.

Advertendum autem, quod compositum metaphysicum unum per se non debeat habere semper partes, seu formalitates metaphysicas, ex quibus componitur, fundatas in entitate una per se physice, hoc est composita ex partibus physicis realiter distinctis, quia aliàs essentia Angelî non esset quid unum per se metaphysice loquendo, quod est absurdum; sed debet habere eas fundatas in entitate, quæ sit fit una per se physice completa, ut non sit compositum physicum unum per accidens, siue sit compositum physicum, siue non sit.

CONCLUSIO. IV.

30. Ut quid ponatur directe in prædicamento, debet esse quid completum: ut ponatur autem indirecte & redubitate non debet esse quid completum. Hæc quoque com-

Completa
solum po-
nuntur di-
recte in

munis est, & patet prima pars, quia nihil ponitur directe in prædicamento, nisi vel genera summa, vel illa, de quibus genera summa possint prædicari in quid, hoc enim est quod intelligimus per directam positionem in prædicamento: sed genera summa sunt entia completa, seu conceptus obiectivi abstracti à singularibus completis, & non prædicantur in quid de vllis entibus, quæ non sunt completa: ergo sola entia completa ponuntur directe in prædicamento.

Confirmatur, quia secundum Philosophum, 7. Met. 8. materia non est per se species vllius prædicamenti: sed huius non est alia ratio, nisi quia non est ens completum; ergo entia incompleta nequeunt poni in prædicamento vllò ex his decem, de quibus modo agimus. Et dico Ex his decem, data opera, quia non dubito quin possit fieri series entium incompletorum, verbi gratia formarum substantialium, siue omnium, siue aliquarum convenientium in aliquo gradu communi non convenienti aliis formis, & has series posse vocari prædicamenta, in iisque collocari sola entia incompleta, non vero completa, saltem directe.

Secunda pars patet, quia ut ponantur indirecte, sufficit, quod possint concurrere ad constitutionem rerum, quæ directe ponuntur in prædicamentis: sed ad hoc non requiritur, ut sint completa.

31. Sola potest hic manere difficultas, quænam entia censenda sint completa completionem requisita ad hoc ut ponantur in prædicamentis.

Ad quam difficultatem Respondeo, ex singularibus entitatibus physicis illa esse completa sufficienter ad hoc ut ponantur directe in prædicamento, quæ non sunt partes essentielles physice vllius rei, aut actû, aut potentia; & quæ sunt tales partes esse incompleta sic, ut non possint poni directe in prædicamento. Hinc patet, materiam singularem, & formam singularem quamcumque non spectare directe ad prædicamentum vllum, totum vero constitutum ex materia, & forma physica completa esse quid completum; & etiam Angelum & albedinem, quia nulum ex his potest esse pars essentialis physice compositi vnus per se. Dico autem compositum physicum ex materia & forma completa esse quid completum, quia si darentur aliquod compositum ex materia & forma substantiali incompleta, (ut nos Scotistæ existimamus de facto dari in substantiis corporeis viventibus, de quo suo loco) illud compositum esset incompletum, & indirecte solum spectans ad prædicamenta, sicut materia prima, quia posset esse pars physica alterius compositi physici constantis ex illo & ulteriori forma substantiali, quæ esset per se perfectiva talis compositi incompleti, sicut forma aquæ est per se perfectiva materie primæ aquæ.

Dices: digitus vnus constans parte illa corporis, quæ vocatur digitus, & anima, nequit esse pars essentialis physice alicuius rei, & tamen non est quid completum & directe ponibile in prædicamento substantiæ, sed indirecte tantum: ergo falsum est quod omne illud singulare sit completum, quod nequit esse pars essentialis physice vllius vnus per se.

32. Propter hoc additur communiter, quod ulterius etiam id non debeat esse pars integralis vllius rei, quod est completum sufficienter ad hoc, ut ponatur in prædicamento: & quia sunt duo genera partium integralium, nam quædam sunt partes homogeneæ, hoc est, eiusdem rationis, ut partes aquæ; & quædam heterogeneæ, hoc est, diuersæ rationis, ut sunt manus, pes, oculus, caro, pellis, os; distinguunt communiter authores, & dicunt, illa entia singulæ, quæ possunt esse partes heterogeneæ ex natura sua alicuius compositi, non esse entia sufficienter completa, ut collocentur directe in prædicamentis, & propterea excludunt à recta linea prædicamentali manum, pedem, caput, oculos, & similia entia; illa vero entia, quæ possunt esse partes homogeneæ, modò non possint etiam connaturaliter esse partes heterogeneæ, ut sunt partes aquæ, dicuntur esse completa sufficienter ad hoc ut ponantur directe in prædicamento aliquo, quia huiusmodi partes sunt eiusdem rationis cum toto, quælibet enim pars aquæ est eiusdem

Quænam
entia sunt
completa.

Quænam
partes in-
tegrales
sunt com-
plete entia
quænam
incomple-
ta.

eiusdem rationis & essentia cum tota aqua, & consequenter completum quid ac ponibile in prædicamento directe non minus quam ipsa aqua tota, & sane si pars aqua non poneretur directe in prædicamento, nec ipsa aqua sic in ipso poneretur; nec etiam, aut pars aqua, aut tota aqua poneretur indirecte etiam in prædicamento, & sic daretur aliqua substantia realis finita una per se, quæ nec directe nec indirecte poneretur in prædicamento substantia, aut vilo alio, quod est absurdum, & contra adæquatam diuisionem entis finiti, ut sic, in decem prædicamenta. Probat autem sequela, nimirum quod si aqua, & pars eius non ponerentur directe in prædicamento, non ponerentur etiam in ipso indirecte, quia eam non poneretur indirecte, quatenus reducerentur ad aliquid directe in ipso ponibile: sed nihil tale assignari posset, ut patet: ergo non ponerentur indirecte in prædicamento.

Itaque partes huiusmodi homogeneæ, quæ nequeunt esse partes heterogeneæ, ponuntur directe in prædicamento, non tamen quatenus sunt pars, sed quatenus habent in se essentiam physice completam: hoc autem non est intelligendum de partibus homogeneis omnibus, quia partes carnis sunt homogeneæ, & partes ossis, & tamen non ponuntur directe in prædicamento vlla ratione; sed de illis partibus homogeneis, quæ non sunt natæ esse partes heterogeneæ, quales sunt partes aquæ, non vero partes carnis.

33. Hæc doctrina tota non patitur maiorem difficultatem quam quod aliquod videatur poni directe in prædicamento substantia, quod potest esse pars heterogenea inclusa in aliquo toto composito integrali: nam homo, mancus, cui deficit manus, cum non obitante defectu manus sit quid completum physice, & essentialiter animal rationale, videtur omnino poni directe in prædicamento substantia tam bene quam quicumque alius homo, & tamen potest esse pars heterogenea totius integralis compositi integraliter ex illo homine manco & manibus eius: ergo aliquid quod potest esse pars heterogenea alicuius totius, directe ponitur in prædicamento.

Respondetur tamen potest, omnem illam partem heterogeneam posse poni directe in prædicamento, quæ possit habere denominationem totius illius compositi, quod esset completum & constans omnibus suis partibus integralibus heterogeneis: Vnde quia homo mancus dicitur simpliciter homo, & animal rationale, quod admodum homo totaliter integer ex omnibus partibus integralibus, propterea potest dici, quod ponatur directe in prædicamento substantia homo ille mancus, sicut homo integer: sed quia manus hominis non dicitur homo, etiam si sit animata, ideo non debet poni directe in prædicamento substantia.

34. Itaque illa entia singularia sunt completa, quæ vel non sunt nata concurrere tanquam partes ad compositionem essentiali physicam aut integram vllius entis singularis alterius, vel si sint nata concurrere ad compositionem talis entis, habent denominationem istiusmet entis, & essentiam metaphysicam eiusdem rationis cum ipso. Ex qua descriptione entis completi sequitur Angelum quæque esse ens completum, & partem quancumque aquæ, & hominem quancumque, quamuis ipsi deesse aliqua pars integralis, ut manus vel pes: materiam vero primam, & corpus, quod est altera pars physica, ex qua & anima componitur homo physice, & ipsam animam, & manum, pedem, os, carnem, similiaque esse entia incompleta, ac indirecte tantum, seu reductiue spectantia ad prædicamenta.

35. Ex gradibus seu formalitatibus metaphysicis illi gradus, seu formalitates consentur completæ, quæ sunt prædicabiles in quid de entibus physice completis; vnde quia sola genera & species sic prædicantur, sola illa sunt entia completa & directe ponibilia in prædicamento, differentia vero, sunt entia incompleta, & solum indirecte & à latere in prædicamentis collocabilia; proprietates etiam similiter sunt incompleta & reductiue tantum ad has classes spectantes.

Et si quæritur, cur genera & species sint completa entia

completa potius quam differentia, quandoquidem genera sunt partes essentielles metaphysicæ rerum, quarum sunt genera, sicut differentia sunt.

Respondetur propter illam rationem, propter quam genera prædicantur in quid, & differentia prædicantur in quale quid.

36. Et si quæras rursum, quænam sit hæc ratio? Respondetur rationem esse, quod differentia non prædicentur nisi per modum partis, genera vero & species, licet teneantur partes, non tamen prædicantur per modum partis; quando enim dicimus quod Petrus sit animal, non significamus ex modo loquendi quod inuoluatur aliquam partem essentiali præter animalitatem: & idem est quando dicimus quod sit homo, sed quando dicimus quod Petrus sit sensitiuus & rationalis essentialiter ex modo loquendi, damus intelligendum quod includatur aliquam partem essentiali præter rationalitatem & sensitiuitatem, nimirum illam aliam formalitatem essentiali, cui concipimus rationalitatem adiacere tanquam determinatiuum.

CONCLUSIO V.

37. Quæ ponuntur directe in prædicamento substantia, debent poni in eo, quatenus significantur nomine concreto substantiino, & metaphysico, non vero ut significantur nomine abstracto metaphysico. In hoc conueniunt omnes: & patet, quia debent poni in prædicamento directe secundum quod possint prædicari & subijci sibi inuicem, sed, ut supra diximus, abstracta metaphysica non possunt de inferioribus prædicari; concreta vero possunt: ergo solum sunt ponenda in prædicamento substantia, quatenus significantur nomine concreto, seu quatenus sic concipiuntur. Hinc patet, nec animalitatem ut sic, nec humanitatem poni directe in prædicamento substantia, sed bene animal & hominem: idem est iudicium de cæteris similibus, de quo non potest esse alia quæstio quam de nomine.

CONCLUSIO VI.

38. Satis probabile est, entia, quæ ponuntur directe in prædicamento accidentium, posse poni in illis, vel in abstracto physico, vel in concreto physico, modo tamen obseruetur proportio sic, ut si supremum genus ponatur in concreto, cætera inferiora similiter ponantur in concreto: si vero ponatur supremum genus in abstracto, similiter cætera inferiora in abstracto ponantur: verbi gratia si supremum genus prædicamenti qualitatatis ponitur, ut significatur per ly quale, quod est concretum adiectiuum & physicum, albedo etiam debet in illo poni, ut significatur per ly album, & color ut significatur per ly coloratum. Hæc meo iudicio est. Scitis quæst. 11. prædicament. in responsonem ad quæritum, quatenus dicit accidentia posse poni in prædicamentis in abstracto; & eam tenet Aueris hic quæst. 16. contra Toletum quæst. 2. post prædicament. Nipham 5. Met. quæst. 5. Murciam quæst. 2. de natura prædicamentis quatenus vero dicit, quod possit poni in prædicamentis in concreto, est contra D. Thomam opusc. 42. Fonseca 5. Met. Complutenfes hic disp. 5. Merinerum hic quæst. 1. & alios plures.

Probat autem primo authoritate Philosophi, quia recenset prædicamenta accidentalia sub nominibus concretis: ergo possunt sub talibus nominibus in prædicamentis poni. Rursus in cap. de Quantitate & Qualitate enumerat res illorum prædicamentorum in abstracto: ergo possunt poni secundum ipsum in abstracto. Et sane, nisi teneatur nostra conclusio, videbitur Philosophus vel non satis sibi constare, vel satis æquiuoce loqui, dum aliquando enumerat res prædicamentorum accidentalium in abstracto, aliquando in concreto.

39. Probat autem ratione, quia illa, quæ ponuntur in prædicamentis accidentium, possunt in ipsis poni quancumque ratione possunt de se inuicem prædicari, & sibi inuicem subijci per modum generum & specierum, ac indiuiduorum completorum: sed certum est, album ut sic posse prædicari de hoc & illo albo, & albedinem ut sic, posse prædicari

Cur genera & species sint completa entia non vero differentia.

Substantia ponitur in prædicamento substantiino, & metaphysico, non vero ut significatur nomine abstracto metaphysico.

Accidentia ponuntur in prædicamento accidentium, vel in abstracto physico, vel in concreto physico, modo tamen obseruetur proportio sic, ut si supremum genus ponatur in concreto, cætera inferiora similiter ponantur in concreto: si vero ponatur supremum genus in abstracto, similiter cætera inferiora in abstracto ponantur.

Quæ pars heterogenea potest poni directe in prædicamento.

Quæ entia singularia sunt completa.

Qui gradus metaphysici sunt completi.

prædicari per modum generis de nigro & albo, sicut & color ut sic potest prædicari de hoc & illo colore: & similiter Quale ut sic, potest prædicari per modum generis supremi de omnibus qualibus, seu qualificatis accidentaliter, sicut & qualitas ut sic potest prædicari de omnibus qualitatibus; & idem est dicendum à paritate rationis de omnibus aliis accidentibus: ergo accidentia possunt collocari in prædicamentis, siue in abstracto physico, siue in concreto physico.

Confirmatur soluendo fundamenta aduersarum sententiarum.

40. *Obiicit primò* pro *Toletii* sententia: Accidentia in abstracto sunt entia incompleta: talia non possunt poni in prædicamentis: ergo accidentia ut sic nequeunt poni in prædicamentis.

Respondeo negando maiorem; sunt enim completissima, quandoquidem non sunt nata constituere aliquid, neque per modum partis essentialis, nec integralis homogeneæ, aut heterogeneæ. Et sane si accidentia in abstracto essent entia incompleta, etiam in concreto formaliter loquendo essent entia incompleta: sicut rationale formaliter loquendo est ens incompletum, quia abstractum eius, nempe rationalitas, est ens incompletum.

41. *Obiicit secundò*: quia accidentia constituunt diuersa prædicamenta ex diuerso modo efficiendi substantiam: ergo debent poni in prædicamentis, ut efficiunt substantiam, & consequenter debent poni in concreto, quia ut sic efficiunt substantiam.

Respondeo distinguendo antecedens: ex diuerso modo efficiendi substantiam, id est, quatenus ex se habent tribuere effectus diuersos tali diuersitate substantiis, transeat antecedens; id est, quatenus concipiuntur ut actu efficientes substantiam, nego antecedens, & similiter distinguo consequens; quatenus efficiunt actu, nego; quatenus aptæ sunt efficere, concedo consequentiam. Itaque albedo potest poni in prædicamento distincto à quantitate, etiam considerata in abstracto, quia ut sic considerata, potest concipi ut apta nata, dare aliquem determinatum effectum substantiæ, quem nulla quantitas potest tribuere; & idem est de ceteris accidentibus; & per hæc patet ad reliqua, quæ pro sententia illa adduci possunt.

42. *Obiicit tertio*, pro magis communi sententia tenente quod debeant poni in abstracto: Concreta non sunt vnum per se: sed quæ ponuntur directe in prædicamentis sunt vnum per se: ergo accidentia solum in abstracto possunt poni in prædicamentis.

Respondeo distinguendo maiorem: concreta formaliter loquendo, & prout dicunt formam cum connotatione subiecti, & adiacentiæ, nego maiorem; prout dicunt æque primò & formam illam, & subiectum, concedo maiorem, & concessa minori, nego consequentiam.

43. *Obiicit quarto*: pro eadem ex *Merineri*: Accidentia in concreto non possunt denominari genera, aut species, ergo nequeunt ut sic collocari in prædicamentis. probatur antecedens, quia ut sic non possunt considerari per modum per se stantis, sed per modum adiacentis: sed genera & species debent considerari per modum per se stantis, ergo &c.

Respondeo negando antecedens, quia certum est quod coloratum ut sic, sit prædicabile de nigro & albo, quatenus talia formaliter & quod non sit prædicabile de ipsis ut accidens, nec ut differentia, nec ut proprietas: ergo ut genus, vel ut species, & consequenter concretum accidentale potest considerari ut genus, & ut species.

Propter quam rationem *Scotus* supra expresse concedit, Quale esse genus generalissimum respectu omnium qualium. Ad probationem antecedentis, nego maiorem: omne enim illud, quod potest prædicari in quid, & per quod responderi potest interroganti quid est res, potest considerari per modum per se stantis; unde quia interroganti quid est nigrum, bene responderetur dicendo quod sit coloratum, coloratum potest considerari tanquam quid per se subsistens.

Dices: consideratur coloratum formaliter per modum

adiacentis, alias non esset concretum adiectiuum, ergo non consideratur per modum per se stantis.

Respondeo distinguendo antecedens: quatenus comparatur ad subiectum, de quo accidentaliter prædicatur, concedo; quatenus consideratur in ordine ad illa, de quibus essentialiter prædicatur in quid, nego antecedens. Itaque bene potest accidere quod aliquid prædicetur per modum adiacentis de aliquibus, & de aliis per modum per se stantis.

44. *Obiicit quinto*, in fauorem *Merineri*: *Scotus* expresse dicit quæstione illa vndecima, quod album quidem ponatur in prædicamento qualitatibus, sed quod non sit qualitas sub illo modo significandi: ergo sentit album in concreto non debere poni in prædicamento.

Respondeo negando consequentiam, quia aliud est, quod album suo illo modo significandi non sit qualitas, aliud quod sub illo modo significandi non ponatur in prædicamento, poni enim bene potest in prædicamento, etiam qualitatibus, sub illo modo significandi, modo ipsamet qualitas ponatur in concreto, licet non possit qualitas in abstracto de ipso prædicari, & licet non possit consequenter collocari sub qualitate in abstracto. Imo quandoquidem dicat *Scotus* quod sp. et Quale ad prædicamentum qualitatibus, & quod sit genus generalissimum istius prædicamenti, licet non aliud genus quam ipsa qualitas, quia quale ut sic, & qualitas ut sic non distinguuntur nisi in modo significandi, signum est quod existimauerit utroque modo posse qualitatem poni in prædicamento, & in concreto & in abstracto, seruata tamen proportionem, ut superiora & inferiora ponantur eodem modo, aut omnia in concreto, aut omnia in abstracto.

CONCLUSIO VII.

45. *Vniuersalitas non est conditio requisita ad hoc ut aliquid ponatur in prædicamento*. Hæc est communissima contra *Iauellum* in Log. titulo quinto cap. 1. *Probatur*, quia indiuidua ponuntur directe in prædicamentis, ergo vniuersalitas non est conditio requisita ad hoc. Probatur antecedens, quia indiuidua aliqua sunt entia realia finita completa, & de illis in quid genera generalissima prædicantur, ut patet de Petro & Paulo: ergo nihil impedit quominus ponantur directe in prædicamentis.

Confirmatur, quia non ponuntur reductiue, nec à latere, quandoquidem non sunt partes, nec proprietates alterius rei, quæ directe ponitur. Aduertendum tamen reuera hic non esse aliud, quam quæstionem de nomine; nam si per prædicamentum intelligamus seriem omnium prædicatorum, quæ inter se inuicem coordinari possunt, quoad subiectionem & prædicationem in quid, certum est indiuidua spectare ad prædicamenta; nec hoc *Iauellus*, ut credo, negaret: si vero per prædicamenta intelligeremus seriem prædicatorum & formalitatum essentialium, quæ sic ordinari possunt, tum indiuiduum non spectabit ad prædicamentum, quia singularitas non est prædicatum essentialiale. Melius autem accipitur prædicamentum primo modo, quia sic accipitur communiter à Doctoribus.

Dices, pro *Iauello*: *Porphirius* assignat pro terminis extremis prædicamenti genus summum & species infimas; ergo indiuiduum non spectat ad prædicamentum, quia alias species infima non esset terminus, nec extremum prædicamenti.

Respondeo negando antecedens: nec enim assignauit speciem infimam pro vno extremo simpliciter, sed pro vno extremo ex prædicatis essentialibus, quod non facit ad rem.

CONCLUSIO VIII.

46. *Nulla alia conditio requiritur ut aliquid ponatur in prædicamento, præter hætenus explicatas, nempe quod sit aliquid reale finitum vnum per se, completum & modo concreto vel abstracto conceptum iuxta dicta*. Hæc est communior contra *Alb. & Egidium* hic, & *Plotinum*, qui putauerunt Angelos non poni in aliquo ex his prædicamentis, & contra alios ut *Auerroem*, *Iamdunum*, *Suesanum*, *Iamblicum*, quos sequitur probabiliter *Vallius* q. 2. de substantia c. 5. qui excludunt ab his prædicamentis substantias

Vniuersalia sola ad ponuntur in prædicamentis.

Conditiones requisitæ ut aliquid ponatur in prædicamento.

substantias incorruptibiles, ut sunt caelestia corpora, Quod si verum esset Angelos & caelestia corpora non poni in his prädicamentis, quandoquidem prädictae conditiones cōpetat illis, sequitur alias conditiones requiri prae-ter dictas.

Angeli & caelestia corpora spectant ad prädicamenta.

Probaturs conclusio, quia gratis requireretur aliqua alia conditio & gratissime arceretur à prädicamentis de facto datis tanta multitudo creaturarum, quanta est Angelorum & corporum caelestium.

Confirmatur, quia Philosophus diuisit ens reale finitum ut sic in haec decem prädicamenta: ergo vel diuisio non est adaequata aut bona, vel nullum tale ens datur, quod non spectet aliquo modo ad haec prädicamenta: sed cerum est Angelos & caelestia corpora non spectare redu-ctiue aut indirecte ad haec prädicamenta; ergo spectant ad illa directe.

Confirmatur secundo, quia nihil impedit quominus ab Angelis, corporibus caelestibus, & sublunaribus possit abstrahi aliqua ratio generica communis substantiae ut sic tam bene, quam potest ab omnibus corporibus sublunari-ibus abstrahi talis ratio, & hoc supposito, nihil impedit quominus substantia, quae est genus generalissimum prädicamenti substantiae, sit ratio illa communis: ergo dicen-dum est quod sub genere generalissimo prädicamenti substantiae comprehendantur Angeli & corpora caelestia, & consequenter quod spectent ad prädicamenta.

47. Obiicitur: nihil potest poni in prädicamento, nisi quod est genus generalissimum, vel quod contineatur sub tali gene-re: sed nec Angelus ut sic, nec corpus caeleste & incorruptibile ut sic, est aut summum genus prädicamenti vli-us, aut contentum sub illo genere: ergo non possunt po- ni in prädicamento vilo. Minor quoad primam partem est certa apud omnes; nemo enim dixit Angelum, aut corpus incorruptibile esse summum genus vlius prädicamenti; & ratio est, quia si vlius, maxime substantiae: sed non hu-ius, quia sic substantiae corruptibiles non ponerentur in hoc prädicamento, quod est absurdum. Probaturs ergo mi-nor quoad secundam partem, quia si continerentur sub ge-nere summo, deberent constare genere: sed non constant, quia non constant materia, id quod certum est de Angelis; sed nihil potest constare genere, quod non cōstet materia, quia genus desumitur ex materia: ergo non cōstāt genere.

Quomodo genus desumitur ex materia?

Confirmatur, quia secundum Philosophum 10. Met. cap. ult. corruptibile & incorruptibile differunt genere: ergo substantiae spirituales & corporae caelestes, quae sūt incorruptibiles, non ponuntur in eodem prädicamento cum substantiis corporeis corruptibilibus; sed si poneretur in aliquo ex his prädicamentis, ponerentur in eodem prädicamento cum ipsis, nimirum in prädicamento sub-stantiae: certum enim est, quod non ponantur in vilo prädicamento ex nouem prädicamentis accidentium.

Confirmatur secundo, quia Angeli sunt actus puri: ergo non constant genere; quod semper est potentiale quid.

48. Respondeo, negando minorem pro secunda parte, & ad eius probationem dico, genus non desumi ex ma-teria, quasi non possit abstrahi ratio generica ab iis, quae non constant materia; sed si debeat desumi ex materia, hoc verum tantum erit de genere abstracto à rebus materiali-bus, & illis solis communi. Sed nec de hoc etiam verum est, ut patet ex dictis supra, quasi ex sola entitate materiae desumeretur; sed vniuersaliter verum erit in sensu propor-tionali, ut sensus sit, quod genus habeat proportionem cum materia in ratione perfectibilis, sicut differentia ha-bet cum forma in ratione perfectiui.

Ad confirmationem respondet Auerſa, Aristotelem intelligere per genus eo loci genus physicū, quod est ma-teria ita ut sensus sit, quod substantia materialis corrup-tibilis & incorruptibilis differant in materia prima, id est habeant materias primas distinctae rationis. Et addit, Phi-losophum saepe vocare materiam primam genus. Verum haec responsio nequit seruire illis, qui dicunt materiam primā caelestem & sublunarem esse eiusdem rationis, quae est sententia communior Scotistarum, quibus propterea aliter respondendum est.

49. Itaque respondeo etiam pro illis, quod corrupti-

bilia & incorruptibilia differant genere non sic, quod non conueniant in aliquo genere communi etiam prädicame-ntali, sed quod omnia corruptibilia conueniant in aliquo genere sibi solis conueniente & similiter incorruptibilia, & quod corruptibilia differant illo genere ipsis solis communi ab incorruptibilibus, & à contra incorruptibilia differant illo genere, quod ipsis solis est commune, à corruptibilibus.

Quomodo corruptibilia differant genere ab incorruptibilibus.

Ad secundam confirmationem respondeo distinguendo antecedens: sunt actus puri, metaphysice loquendo, id est non includentes aliquid potentiale metaphysicum, ne-go antecedens: actus puri physice, id est, non includen-tes materiam physicam, nec aliquid per se perfectibile per-fectibilitate physica, hoc est aliquid per se perfectibile per aliquam formam realiter distinctam, concedo antecede-ns, & nego consequentiam.

Quomodo Angeli sūt actus puri

50. Quaeritur pro complemēto huius quaestionis, an Chri-stus ponatur in prädicamento substantiae; *Respondeo*, si consideretur Christus, ut est suppositum humanum, prae-cise, abstrahendo ab inclusionē Diuinitatis, sic poni in prädicamento substantiae non solum in specie humana, in qua comprehenditur natura humana Christi tam bene quam vlla alia natura, sed etiam quatenus est indiuiduum humanum distinctum numero à quolibet alio indiuiduo humano, quia nihil profus impedit, & ut sic est ens com-pletum. Si vero consideretur ut includit Diuinitatem non ponitur in prädicamento; quia ut sic, non dicit naturam finitam, sed infinitam: nec in hoc est alia difficultas quam de nomine, quae quantum fieri potest, semper debet cui-tati.

An Chri-stus ponatur directe in prädicamento.

DISPUTATIO XII.

DE SUBSTANTIA.

NON capitur in hac disputatione Substantia pro natura & essentia rei, quia sic accepta substantia; non spectat ad aliquid determinatum prädica-mentum, cum nullum prädicamentum sit, in quo non ponatur natura & essentia rerum ad illud spectantium: sicut enim essentia hominis spectat ad hoc prädicamen-tum, ita essentia lineae spectat ad prädicamentum quan-titatis, & essentia similitudinis ad prädicamentum simi-litudinis. Capiturs ergo hic substantia pro ente, quod op-ponitur accidenti & habet diuersā essentiam ab essentia eius. Hu-iusmodi autē ens merito ponitur in primo prädicamento, quia omnia accidentia ad ipsum ordinantur, & propterea entis entia vocantur à Philosophis frequentissime. Quare cum de prädicamentis in particulari differere vellent Phi-losophus, prius de substantia quam de vilo alio prädica-mento agit, & cap. 5. huius libri ait duas dari substantias, vnam primam, alteram secundam, aitque primam substan-tiam esse, quae neque de subiecto dicitur, id est non prädica-tur essentialiter de vilo inferiori, neque in subiecto aliquo est, id est non inhaeret vili subiecto. Deinde asserit sub-stantias secundas esse genera, & species substantiales, quae scilicet prädicantur in quid de substantiis primis, ijsque propterea inesse substantias secundas tanquam inferiora superioribus. Postea comparat substantiam primam ad se-cundam, aitque illam, nempe primam, esse maxime proprie substantiam, quia maxime substat, quod non solum intel-ligendum est quantum ad substantiam accidentibus om-nibus singularibus, quae nequeunt subiectari nisi in sub-stantiis primis; sed etiam quantum ad substantiam pradi-catis essentialibus, quia substantia prima ita substat sub-stantiis secundis, ut nihil aliud ipsi similiter substat; nul-la autem substantia secunda ita substat aliis substantiis secundis, quin aliqua substantia ipsi substat, nempe prima; & subiungit, species infimas magis esse substantias quam subalternas, quia magis accedunt ad substantias primas, quandoquidem paucioribus inferioribus subsistent quam superiores substantiae secundae. Denique assignat aliquas proprietates substantiae.

Quid prima substantia.

Quid secunda.

Q. QVÆS